

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (28)

4.10.2.2. De Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis

Ex iisdem causis, quibus Ottiliani annis vicesimis saeculi vicesimi adducti sunt, ut fundationes novas variis in regionibus orbis terrarum susciperent, iidem etiam in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis pervenērunt. Nam propter malas condiciones oeconomicas in Germaniā atque in Europā vigentes, videbatur necessarium esse, ut fundamentum Congregationis extra Europam extenderetur, quo facto regiones missionariae melius sustentari possent. Tamen in comparatione aliarum fundationum illius temporis differentia erat in eo, quod Ottiliani in Americam Septentrionalem non sunt vocati, sed suā sponte illuc vēnērunt ad domum condendam, quā fieri posset, ut pecunia necessaria colligeretur. Putabantur enim cives catholici Civitatum Foederatarum esse satis divites atque multam pecuniam largiri valere.

Itaque anno 1921^o P. Michael Heinlein ad incepturn suscipiendum in Civitates Foederatas missus est.¹ P. Michael Heinlein anno 1912^o in Africam orientalem missionarius emissus erat² et deinde pertinebat ad illos, qui propter primum bellum mundanum hanc regionem relinquere coacti erant atque usque in annum 1919^{um} in Aegyptiacis castris captivorum retenti denique in Germaniam reverterunt.³ Eadem ergo hōc novum munus traditum est.⁴

Tamen condiciones, quas idem invēnit, non tam faciles erant quam confratres domi putaverant. Nam P. Michael per tres annos locum condendi, verisimi-

1 Cfr Maximin MAYR: St. Paul's Abbey in Newton, New Jersey / USA. In: Leuchter 2 (1992), p. 110; Augustin HINCES: Saint Paul's Abbey in Newton, New Jersey / USA. In: Leuchter 4 (1993), p. 353; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilein. St. Ottilein 1992, p. 63; Leander BOPP: St. Ottilein - 50 Jahre Abtei. St. Ottilein 1952, p. 68 (ASO, D II).

2 P. Michael Heinlein anno 1887^o natus erat atque paucis septimanis, antequam in Africam profectus est, die 22^o m. Iul. a. 1912^o sacerdotio auctus erat.

3 De biographiā P.ris Michaelis Heinlein cfr ex. gr. Frumentius RENNER: Lebensskizzen von Missionaren. In: Leuchter 4 (1993), p. 387.

4 Fortasse causa quaedam, cur specialiter P. Michael Heinlein im Americam Septentrionalem missus est, erat in eo, quod magna pars eius familiae in ipsā urbe Neo-Eboraco [New York] et circumcirca eandem habitavit. - Cfr Thomeae Spreiter diarium, 29.11.1923 (ASO, A.1.8.1), qui ibidem refert se unā cum P.re Michaele eius familiā in Insula Longa [Long Island] viventem visitavisse. Subiunxit autem septem ex fratribus sororibusque P.ris Michaelis in Civitatibus Foederatis habitare.

liter imprimis in regione Neo-Eboracensi, frustra quaesivit, quamvis plures contactū coluisse atque plura conamina suscepisset. Tamen spem non omnino depositus.

In fine mensis Novembbris a. 1923ⁱ episcopus Thomas Spreiter ex Africā meridionali in Civitates Foederatas advēnit.⁵ Idem illuc vectus erat, ut ipse ibīdem pecuniam prorsus necessariam pro Praefecturā suā Apostolicā Zululandiae⁶ colligere conaretur.⁷ In oppido Novarco⁸ in civitate Nova Caesarea⁹

5 Cfr Thomae Spreiter diarium, 27.11.1923 (ASO, A.1.8.1).

6 Quae Praefectura illo tempore, quo Thomas Spreiter adhuc in itinere erat, in Vicariatum Apostolicum evecta est.

7 Cfr Godfrey SIEBER: Der Aufbau der katholischen Kirche im Zululand. Münster-schwarzach 1979, pp. 122 sq.; Godfrey SIEBER: Die Ottilianer Eshowe-Mission. In: Leuchter 2 (1992), p. 181; Godfrey SIEBER: The Benedictines of Inkamana. St. Ottilien 1995, p. 83. - Cfr etiam supra cap. 4.10.1.1.

Episcopus Thomas Spreiter solum usque ad mensem Iunium a. 1924ⁱ in Americā mansit, quamvis longius spatium temporis ei necessarium fuisset, ut scopum suum revera perpetraret. Sed difficultates exortae erant cum Congregatione de Propaganda Fide propter eius commorationem Americanam. Scripserat enim Cardinalis Villelmus van Rossum die 18^o m. Febr. a. 1924^o ad Thomam Spreiter haec (ASA, APr 579):

«Illustrissime ac Reverendissime Domine,

rite ad me pervenerunt binae litterae A. Tuae diebus 24 et 25 p.t. mensis januarii datis, quibus huic S. Congregationi gratias agis de mutatione finium Praefecture Apostolicae tuis soleribus curis concredita, de erectione eiusdem Prefecture in Vicariatum Apostolicum nomine de Eshowe, et permissionem petis in Statibus foederatis Americae per aliquod tempus adhuc commorandi.

Dum libenter deprehendo rem de qua supra non parva Te affecisse laetitia, placet tamen A. Tuam certiorem facere, quod haec S. Congregatio Fidei Propagandae, cuius animarum salus et gloria Dei solum interest, dictam novae Tuae missionis ordinationem unice peregit, ut Missionarii Congregationis Benedictinae S. Ottiliae indigenarum evangelizationem aptius ac facilius promovere valent.

Circa vero permissionem in Statibus foederatis Americae adhuc remanendi, A. Tuae significo, hanc S. Congregationem, ex variis rationibus, dictam permissionem Tibi concedere non posse; imo si eadem epistulam Tuam ante discessum in Status Americae foederatos receperisset, minime licentiam dedisset.

Amplitudinem Tuam igitur rogo, ut in Vicariatum Apostolicum absque mora redire velis ibique regimen missionis adsumere, ut Tui cooperatores in evangelizationis opere alacrius adlaborare possint.

Interim Tibi a Deo O.M. fausta quaeque adprecor.» - Textus originaliter Latinus.

Thomas Spreiter ipse satis obstupefactus atque aliquatenus perturbatus erat de hac re, quia iam ante profectionem suam iter suum Congregationi de Propagande Fide nuntiavisse videtur. Tamen se oboedire ad Cardianlem rescripsit, etiamsi missionarii sui «tristes et deterriti» essent, si «sine exspectato successu» reveniret. (Cfr Thomae Spreiter epistula

sito, in quo Thomas Spreiter in intio imprimis versabatur, iam erat Abbatia Benedictina Sanctae Mariae dicata, cui praeerat Abbas Ernestus Helmstetter. Sed Thomas Spreiter non in illā Abbatiā habitavit, sed apud Sorores Franciscanas, quarum domus in propinquō sita erat. Ut videtur ipse Abbas non nimis gavisus erat de praesentia Benedictinorum missionariorum,¹⁰ fortasse quia timuit, ne illi «mendicantes» Ordini religioso essent dedecori, fortasse etiam - et hoc potius - quia aemulationem timuit, cum Ottiliani in illā regione domum conderent.

Tamen Thomas Spreiter non solum curavit pecuniam pro missione colligendam,¹¹ sed etiam cum P.re Michaele Heinlein cooperatus est, ut licentiam domū condendae acciperent atque locum aptum invenirent. Nam ipsi quōque talis fundatio Americana erat cordi.¹² Inter plura conamina sua P. Michael

die 15 m. Mart. a. 1924 ad Villelmum van Rossum directa (ASA, Apr 579). In epistulā suā, quam Thomas Spreiter die 14 m. Mart. a. 1924 ad Norbertum Weber scripsit (ASA, APr 579), aperte stomachatus est de epistulā Propagandae et lamentatus est se vere deceptum esse de hōc modō progrediendi, postquam tot et tantos labores exanlavisset pro missione, et hōc iter quōque ad missionem sustentandam susceptum esse. Etiam Norbertus Weber in epistulis suis die 9 m. Apr. a. 1924 et die 10 m. Apr. a. 1924 ad Fidelem von Stotzingen datis (ASA, Apr 579) de illā epistulā Propagandae tractavit auxilium Abbatis Primatis petens. Sed īdem etiam scripsit se causam veram huius Romanae actionis inaffabilis nescire. Res manet aliquatenus aenigmatica, cum postea relationes inter episcopum Thomam Spreiter atque Congregationem de Propaganda Fide iterum bene compositae fuerunt. - Thomas Spreiter hanc rem in diario suo quōque commemoravit (ex. gr. 6.3.1924 [ubi etiam epistulam Latinam Propagandae - ut mos suus erat - ad verbum descriptis], 7.3.1924, 10.3.1924 (ASO, A.1.8.1)). Eius sensūs apparent in sententiā diei 10 m. Mart a. 1924 hac: «*Tunc oboedientia est sacrificium, et hoc sacrificium postulatur ex parte quadam, a qua adiumentum exspectandum esset neque impedimentum.*» - Textus originaliter Theodiscus.

8 Newark.

9 New Jersey.

10 Haec condicio saepius appetit in commentariis, quos Thomas Spreiter in diarium suum inseruit.

11 Haec res etiam non tam facilis erat quam speraverat, sed condicio erat vere laboriosa multis cum repulsi. Nam fontes pecuniarii non nimis vehementer fluebant et nummi plerumque quasi guttatum ad ipsum pervenērunt.

12 Sic ex. gr. in epistulā die 10 m. Aug. a. 1925 ad Bonifatium Sauer datā (ASO, Z.3.0.1.19) Thomas Spreiter adhuc commemorat se semper voluisse foundationem in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, quia fuisset utilis ut refugium atque ut fundamentum ad pecuniam colligendam, sed anno 1921^o, cum de hac re cogitari inciperetur, iam paene nimis sero fuisse.

Heinlein etiam contactum habuit cum episcopo Bruclinensi,¹³ qui rem quidem non aperte negavit, sed excusationibus variis adhibitis modo vere dilatorio tractavit.¹⁴ Etiamsi P. Michael adhuc de bono effectū harum consultationum speravit, Thomas Spreiter talibus promissis non ita certis non confisus est. Insuper secundum ipsius opinionem omnino necessarium erat, ut statim atque immediate fundationem quandam incohare possent. Itaque proposuit, ut episcopum Novarcensem Iohannem Iosephum [John Joseph] O'Connor¹⁵ adirent, quem Thomas Spreiter bonum piumque esse existimavit.

Sed condicio non omnino facilis esse videbatur. Nam P. Michael non magnam spem habuit in hōc propositum putans Benedictinos Novarcenses rei esse contrarios. Revera Abbas Ernestus, cum Ottiani colloquium cum ipso instituerent et eum interrogarent, quid de opinione episcopi hac in re sentiret, valde dissuasit dicens episcopum O'Connor nulos alias Benedictinos in dioecesi suā habere velle.¹⁶ Abbas vero Ottiani plures alias dioeceses ad condendum proposuit. Ut ex hōc modo se gerendi apparet, videtur Abbas Ernestus aemulationem quandam atque detrimentum ex praesentiā aliorum Benedictinorum timuisse.

Nihilominus die 17^o m. Ian. a. 1924^o P. Michael Heinlein et episcopus Thomas Spreiter episcopum Iohannem O'Connor adierunt, qui, quamvis aegrotaret, eos recepit eaque auscultavit, quae petiverunt. Condiciones autem necessitatesque suas episcopo Novarcensi explicuerunt, nempe se paroeciam non quaerere, sed se domum desiderare, quā viros vocatione praeditos attraherent, qui deinde in missione sustentandā auxilium ferrent. Iohannes O'Connor hōc in colloquio mirum in modum dixit se nihil contra tale inceptum habere.¹⁷ Bene imaginari possumus, quam contenti et gaudentes illi duo missionarii episcopum reliquerunt.

Tamen res nondum erat prorsus transacta. Nam postquam episcopum visita-

13 *Brooklyn.*

14 De aliquo huiusmodi responso illius episcopi Thomas Spreiter in diario suo, 14.1.1924 (ASO, A.1.8.1) rettulit.


15 Maximin MAYR: St. Paul's Abbey. In: Leuchter 2 (1992), p. 110 falso indicat eos episcopum Thomam Walsh adiisse. Sed Thomas Walsh demum inter annos 1928^{um} et 1937^{um} erat episcopus Novarcensis, deinde inter annos 1937^{um} et 1952^{um} huius dioecesis archiepiscopus. - Ipse Thomas Spreiter in diario suo hōc in conexū semper episcopum Iohannem O'Connor commemoravit.

16 De hōc colloquiō cfr Thome Spreiter diarium, 16.1.1924 (ASO, A.1.8.1).

17 Cfr Thome Spreiter diarium, 17.1.1924 (ASO, A.1.8.1).

verunt, Thomas Spreiter denuo ad Abbatem Ernestum se contulit ei praeter alia de effectū colloquii episcopalis referens, quem effectum Abbas aliquatenus aegre tulisse videtur.¹⁸ Et etiam aliud obstaculum inexspectatum ex improviso apparuit. Nam die 18^o m. Ian. a. 1924^o iussū episcopi Iohannis O'Connor Thomae Spreiter allata est epistula, quā permissio condendi non omnino quidem retracta est, sed quā legebatur episcopum propositum Ottilianorum primo consuli velle ab Concilio suo, quā de causā antea hac in re ab Ottilianis nihil agendum esset.¹⁹ Haec monitio paene nimis sero advēnit, quia P. Michael Heinlein iam operari cooperat atque Archiabbbati Norberto Weber epistulariter iam de novo progressū rettulerat.²⁰ Itaque Thomas Spreiter unā cum P.re Michaele die 19^o m. Ian. a. 1924^o denuo in Ordinariatū episcopali versabatur et novis consultationibus perpetrare valuit, ut permissio definitiva daretur.²¹ Id quod eis revera contigit.

Tunc P. Michael Heinlein serio locum condendi in hac dioecesi quaerere potuit. Idem oculos suos satis celeriter convertit ad regionem, quae circumcirca oppidum Neotoniam²² sita est, quod oppidum circiter quinquaginta chiliometris ab Neo-Eboraco distat. Illo in oppido parochus Donnelly paroeciam curavit, qui ab initio Ottilianos multum adiuvit eosque bene affabiliterque



P. Michael Heinlein.
[Leuchter 4 (1993), p. 360,2.]

18 Cfr Thomae Spreiter diarium, 17.1.1924 (ASO, A.1.8.1).

19 Thomas Spreiter in diario suo, 18.1.1924 (ASO, A.1.8.1) illam epistulam Anglice compositam ad verbum descripsit.

20 Cum legamus vesperi diei 17ⁱ m. Ian. a. 1924^o hanc epistulam ex Ordinariatū episcopali missam esse, quae proximo die advēnit, suspicio exoriri potest Abbatem Ernestum, simulatque de effectū prospero ab Thoma Spreiter certior factus est, fortasse ad episcopum Novarcensem se convertisse, ut totam rem impediret, quia praeſentia Benedictinorum Ottilianorum ei non ita placuit. Sub aspectu eventuum posteriorum haec interpretatio videtur non nimis absona esse.

21 Cfr Thomae Spreiter diarium, 19.1.1924 (ASO, A.1.8.1).

22 Newton.

recepit. Nimis multae possibilitates condendi quidem non praebebantur,²³ nihilominus satis celeriter praedium quoddam invēnit, quod illo tempore «Praedium Portae Rubrae»²⁴ appellabatur et quod circiter duobus chiliometris ab oppido Neotonia distabat. Hōc praedium constabat ex areā ciricter centum octoginta hectiarum, in quibus tria aedificia, stabulum (cum vaccis), stagnum, prata silvaeque inveniebantur.²⁵ Contractus ergo ad praedium emendum - licentiā Archiabbatis Norberti Weber et episcopi Novarcensi scilicet acquisitā - die 6^o m. Mart. a. 1924^o apud tabellionem subscriptus est et die 15^o m. Mart. a. 1924^o possessio officialiter in manūs Ottilianorum transiit.²⁶ Huic fundationi nomen, quod est «*Little Flower*» inditum est eademque Theresiae Lexoviensi²⁷ dedicata est.²⁸

Immediate post P. Michael Heinlein unā cum paucis cooperatoribus ibi ad domos restituendas adaptandasque atque ad aream meliorandam iam laborare

23 Iam die 20^o m. Ian. a. 1924^o Thomas Spreiter in diario suo (ASO, A.1.8.1) rettulit se unā cum P.re Michaeli, quos parochus Donnelly comitatus est, paregium quoddam iuxta Neotoniam situm inspexisse. Sed ex descriptione loci ibidem exhibitā iam appareat condicionem non omnino opportunam fuisse, quā de causā Thomas Spreiter putavit hōc praedium tantummodo emendum esse, «*si nihil melius inveniretur*».

24 «Red Gate Farm».

25 Descriptio secundum Thomae Spreiter diarium, 6.3.1924 (ASO, A.1.8.1).

26 Cfr Thomae Spreiter diarium, 6.3.1924 (ASO, A.1.8.1), qui quoque aderat, cum contractus subscriberetur. - Cfr etiam Maximin MAYR: St. Paul's Abbey. In: Leuchter (2¹⁹⁹²), p. 110. - Godfrey SIEBER (1992), p. 64 per errorem indicat diem 15^{um} m. Mart. a. 1924^o, quo contractus subscriptus esset. Solum annum fundationis exhibit Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. 11. Weißenhorn 1976, p. 342; Augustin HINCHE: Saint Paul's Abbey. In: Leuchter 4 (1993), p. 353; Beda DANZER: Die Benediktinerregel in der Übersee. St. Ottilien 1929, p. 112; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 3¹⁹³⁹, p. 117 (qui tamen falsam Civitatem Americanam indicat); Frumentius RENNER: Gründungen in Nord- und Südamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 280. - Frumentius RENNER: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter 2 (2¹⁹⁹²), p. 30 falso indicat annum 1923^{um} insuper monasterii nomen Sancti Pauli exhibens, quod eidem demum anno 1947^o inditum est.

27 *Lisieux*.

28 Ut haec dedicatio fieret, P. Michael Heinlein et episcopus Thomas Spreiter communiter constituerunt. - Cfr Thomae Spreiter diarium, 17.4.1924 (ASO, ASO A.1.8.1). - Thomas Spreiter hac in re verisimiliter manum magis directoriam habuisse inde appareat, quod īdem iam duabus septimanis antea epistulam ad Norbertum Weber direxit scribens se putare novam fundationem, ut effectum exoptatum haberet, secundum exemplum Lexoviense instituendum esse. - Cfr Thomae Spreiter diarium, 5.3.1924 (ASO, A.1.8.1).

coepit. Contigit etiam, ut usque in mensem Aprilem cappella quaedam in domo instrueretur, cui licentia episcopi Novarcensis acquisita benedictionem largitus est Thomas Spreiter die 21^o m. Apr. a. 1924^o, illius anni die lunae festi Paschatis.²⁹

Cum multi labores exanclandi in domo Neotonensi exspectandi essent, ex patria plures monachi Otiliani in Americam missi sunt, imprimis Fratres conversi.³⁰ Primi eorum die 5^o m. Maii a. 1924^o in Civitates Foederatas pervenērunt.³¹

Progressus quidam paulo post in fundatione Neotonensi iam animadvertebantur. Patres curam animarum in paroeciis vicinis exhibuerunt atque administrationem exercuerunt. Fratres imprimis praedium tractaverunt, agriculturam auxerunt atque in domibus restaurandis aedificandisque cooperati sunt. Cum parva cappella initialis celeriter non iam sufficeret, mensibus Iulio Augustoque a. 1925ⁱ nova cappella exstructa est, quae decursu temporis centrum quoddam pergerinationis piae ad Sanctam Theresiam Lexoviensem facta est.³²

Quamquam tempus nondum omnino erat maturum (exempli gratia propter numerum Patrum nondum sufficientem), in initio anni 1927ⁱ Archiabbas Norbertus Weber putavit necessarium esse, ut monasterium Neotonense canonice erigeretur. Quia enim scopus fundationis erat in eo, ut eadem auxilium ad missionem sustentandam ferretur, desiderabatur quoque, ut viri ad monasterium attraherentur, qui Benedictini missionarii fieri vellent. Quā de causā novitiatus erat instituendus, id quod fieri non potuit nisi monasterio canonice erecto. Itaque Archiabbas Norbertus Weber die 27^o m. Ian. a. 1927^o

29 Cfr Thomae Spreiter diarium, 21.4.1924 (ASO, A.1.8.1). - Itaque Maximin MAYR: St. Paul's Abbey. In: Leuchter 2 (1992), p. 111 non recte scribit hanc benedictionem ab episcopo dioecesis exhibitam esse.

30 Maximin MAYR: St. Paul's Abbey. In: Leuchter 2 (1992), p. 111 nomina illorum monachorum indicat, qui ex Archiabbatia Otiliensi, ex Abbatia Suarzacensi et ex Abbatia Swikkerperchiensi ad domum Neotonensem missi sunt. Tamen hi omnes non insimul advenerunt, sed paulatim et decursu annorum.

31 Cfr Thomae Spreiter diarium, 5.5.1924 (ASO, A.1.8.1). - Thomas Spreiter hoc in conexu etiam adnotationes quasdam criticas subiunxit de quaestione, quam utiles quidam illo in loco essent dicens in cooperatoribus eligendis mittendisque multum dependere de scientia condicionum in loco vigentium. - Ceterum illo tempore difficultates quaedam exortae sunt, quod attinebat ad licentiam, quā illi Fratres saltem ad tempus in Americam Septentrionalem immigrare valuerunt.

32 Cfr Maximin MAYR: St. Paul's Abbey. In: Leuchter 2 (1992), p. 111.

petitionem ad Sanctam Sedem direxit, quā rogavit, ut haec fierent.³³

Tamen haec res non immediate ad effectum adducta est. Videtur enim Abbas Ernestus Helmstetter Novarciensis vehementer resistentiam exhibuisse, ne Ottiliani in hac dioecesi manerent.³⁴ Sed denique Abbas Ernestus cessit, cum

- 33 Norberti Weber petitio die 27 m. Ian. a. 1927 ad Sanctam Sedem directa (ASA, APr 579): ASA, APr 579

«*Norbertus Weber, Archiabbas de St. Ottilien, O.S.B. pro Miss. ext. ad Pedes Sanctitatis Tuae humillime provolutus omni qua par est reverentia exponit:*

Ante duos cum dimidia annos a nostra Congregatione de St. Ottilia nova Domus fundata est sub nomine «S.tae Theresiae» in Dioecesi de Newark, New Jersey, America septentrionalis, cum permissione scilicet in scriptis data Rmi Dmni. John J. O'Connor, Episcopi dictae Dioeceseos de Newark.

Degunt in illo St. Theresiae Monasterio 5 Patres et 12 Fratres conversi, qui vitam vere monasticam gerunt.

Adsunt: Sacellum publicum, domus satis amplae; adsunt horrea et stabula, quae respondent fundo agrorum plus quam 150 hecitariorum.

Nunc tempus adesse videtur, quo haec domus formata canonice erigatur. Insuper, cum haec fundatio facta esset, ut Missionarii Ordinis nostri S. Benedicti in istis regionibus congregarentur et eformarentur, maximo emolumento esset, si ibi alumni recipi possent. Ad hoc autem Novitiatus necesse est.

Attamen nostris Constitutionibus requiritur numerus 9 (novem) Monachorum sollemniter professorum ad erectionem Prioratus conventionalis, qui ipso facto facultate Novitiatus gauderet. Sed necessitas Missionum nostrarum adeo urget, ut tantum Patrum numerus hoc momento minime illuc mitti possit. Nihilominus eadem necessitas Missionum requirit, ut numerus Missionariorum per hanc Fundationem augeatur. Perinde Novitiatus ei necesse esse videtur.

Quare humillimus Orator rogat:

1) ut Monasterium St. Theresiae de Newton, in Dioecesi Newark, New Jersey, America spt., canonice erigatur.

2) ut hoc Monasterium sub administratione Archiabbatis de St. Ottilien remaneat usque dum Prioratus vel Abbatia canonice erigatur.

3) ut huic Monasterio Novitiatus concedatur, cuius Novitii, Novitiatu rite absoluto, vota ad hoc Monasterium St. Theresiae emittunt.» - Textus originaliter Latinus.

- 34 Hōc etiam appetet ex epistulā Martini Malter die 5 m. Nov. a. 1927 ad Thomam Spreiter sive ad Bonifatium Sauer (ad quem epistula pertinet ex allocutione non manifestatur) directā (ASO, Z.1.Asien). Ibīdem P. Martinus Malter verba ex epistulā P.ris Michaelis Heinlein depromptā affert, quibus ille de Abbatis Ernesti modo se gerendi rettulit. Ipse Martinus Malter subiunxit se vix credere monasterium Neotonense esse sustentaculum Congregationis missionisque.

Etiam ipse Norbertus Weber videtur interdum de bono effectū huius monasterii Americani dubitavisse, ut ex. gr. patet ex eius epistulā die 15 m. Apr. a. 1927 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.5). Sed iam ab initio Archiabbas malum eventum totius incepti timuerat (cfr ex. gr. Thomae Spreiter diarium, 4.3.1924, 5.3.1924 (ASO, A.1.8.1)).

die 31^o m. Mart. a. 1928^o inter ipsum atque episcopum Thomam Spreiter, qui loco Archiabbatis ut visitator in Americā Septentrionali versabatur, contractus initus est, quō Abbas Novaciensis assensus est monasterium Sanctae Theresiae canonice erigi atque huic domui seminarium missionis exteræ adiungi et quō alterā ex parte Thomas Spreiter loco Ottilianorum promisit huic seminario numquam alium scopum futurum esse ac eruditionem missionariorum.³⁵ Itaque die 4^o m. Sept. a. 1928^o monasterium Neotonense redditum est Prioratus ab Archiabbatia Ottiliensi dependens, sed proprium novitiatum habens.³⁶

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 202, 2015, pp. 499-507]

35 *Cfr* contractus die 31 m. Mart. a. 1928 initus (ASA, APr 579). - Hunc contractum die 21^o m. Iun. a. 1928^o etiam Norbertus Weber subscripsit.

36 *Cfr* Beda DANZER (1929), p. 112.